1. Les Litanies sont trop longues; il faudrait abréger la première partie (supplication des Saints), regrouper quelques demandes dans la deuxième partie, transformer plusieurs demandes de la troisième partie (« ut inimicos sanctae Ecclesiae...; ut regibus et principibus christianis... ») qui ne correspondent plus à la mentalité et à la réalité actuelles.³

2. Il faudrait interrompre l'imposition de l'Évangile au dessus de la tête de l'Élu, pendant l'imposition des mains, ainsi les fidèles pourraient très bien voir le geste très significatif de l'imposition des mains par les Évêques ».

³ Iam provisum est in textu definitivo ritus.

« PONTIFICALIA INSIGNIA »

PAULI PP. VI LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE DE USU INSIGNIUM PONTIFICALIUM RECOGNOSCENDO

Pontificalia insignia ideo ab Ecclesia, volventibus saeculis, instituta et accepta sunt, ut sacra Episcoporum dignitas ante oculos fidelium clarius significaretur; quod praesertim evenit, cum eorum traditio sollemnis facta est et ipsi ritui Ordinationis seu Consecrationis inserta, formulis adhibitis, quae novi Episcopi munus pastorale exprimerent, apud gregem sibi commissum agendum. Neque defuerunt scriptores qui, praesertim aetate media, de iisdem insignibus lucubrationes componerent, eorum significationes cum pastoralibus spiritualibus ostendentes. Per ea enim in luce ponuntur dignitas et potestas Episcopi, utpote qui pastor et magister exstet suarum ovium, quas ducere et nutrire iubetur, ipse qui *sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet*.¹

Paulatim tamen insignia pontificalia, quae Episcoporum propria pluribus saeculis manserant, etiam aliis ecclesiasticis viris concessa sunt, qui Episcopis adiumentum praestabant in eorum ministerio exercendo aut iis Praelatis qui, veluti Abbates in suis monasteriis aut territoriis, iurisdictione aliqua fruebantur ab Episcopo loci subducta, immo pluribus aliis clericis, sive singulatim sive communiter, in signum dignitatis aut honoris. Unde factum est ut nostris diebus plures sint clerici qui, etsi episcopali dignitate non praediti, insignium tamen pontificalium, diversa quidem ratione atque amplitudine, privilegio fruuntur, ad normam eorum quae statuuntur sive in Codice Iuris Canonici, sive in Litteris Apostolicis *Inter multiplices*, motu proprio a Decessore Nostro S. Pio X die XXI mensis Februarii anno MCMV datis, sive in Constitutione Apostolica *Ad incrementum*, a Decessore Nostro fel. rec. Pio XI, die xv mensis Augusti anno MCMXXXIV data.

Recens vero Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum dignitatem et munera Episcoporum in Ecclesia nova luce illustravit,

¹ CONC. VAT. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41: A.A.S. 56 (1964) p. III.

atque apertius demonstravit distinctionem quae inter ipsos intercedit et secundi ordinis sacerdotes. Idem insuper Concilium, de liturgicis celebrationibus agens, statuit ut *ritus nobili simplicitate fulgeant... sint captui fidelium accommodati, neque generatim multis indigeant explanationibus*.² Elementa enim, quae in sacras celebrationes assumuntur, sunt signa per quae res divinae invisibiles demonstrantur,³ quaeque proinde a fidelibus facile et, quantum fieri potest, directo percipi debent, ut exinde ad superna ducantur.

Quam ob rem, inter normas ad sacrae Liturgiae instaurationem spectantes, illa etiam habetur quae congruere edicit, ut *usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut caractere episcopali aut peculiari iurisdictione gaudent*.⁴ Attentis enim indole et condicionibus nostrae huius aetatis, quae veritatem signorum maximi facit, atque attenta necessitate ut ritus liturgici nobili etiam simplicitate fulgeant, omnino oportet, etiam veritas restituatur circa usum pontificalium insignium, quibus dignitas et munus pascendi populum Dei in lucem profertur.

Itaque ad exsequendam sacrosancti Concilii voluntatem, Auctoritate Nostra Apostolica, motu proprio et certa scientia, haec decernimus:

1. Iuxta ea quae in art. 130 Constitutionis de sacra Liturgia statuuntur, iubemus, ut posthac insignibus pontificalibus utantur, praeter Episcopos, sequentes tantum Praelati, dignitate quidem episcopali carentes, sed vera iurisdictione fruantes, videlicet:

a) Legati Romani Pontificis;

b) Abbates et Praelati, qui iurisdictionem habent in territorium a quavis dioecesi separatum (cfr. CIC can. 319 § 1; can. 325);

c) Administratores Apostolici, permanentemente constituti (can. 315 § 1);

d) Abbates regulares de regimine, postquam benedictionem acceperunt (can. 625).

2. Iisdem pontificalibus insignibus, exceptis tamen cathedra et baculo, utantur, etsi dignitate episcopali non potiuntur:

² *Ibid.*, n. 34: *A.A.S.* 56 (1964) p. 109.

³ *Cf. Ibid.*, n. 33: *A.A.S.* 56 (1964) p. 108.

⁴ *Ibid.*, n. 130: *A.A.S.* 56 (1964) p. 133.

a) Administratores apostolici ad tempus constituti (can. 351, § 2, 2^o; cfr. etiam can. 308);

b) Vicarii Apostolici et Praefecti Apostolici (can. 308).

3. Praelati, de quibus in nn. 1 et 2, commemoratis iuribus gaudeant tantum in proprio territorio et durante munere. Abbates vero Primates et Abbates generales Congregationum monasticarum durante munere uti possunt insignibus pontificalibus in omnibus Monasteriis sui Ordinis vel suae Congregationis. Alii autem Abbates regulares de regimine eodem iure gaudent in quolibet Monasterio sui Ordinis, de consensu tamen Abbatis vel Prioris conventualis ipsius Monasterii.

4. Abbates regulares de regimine benedicti, postquam regimen amiserunt, et Abbates titulares uti possunt insignibus pontificalibus in quolibet Monasterio sui Ordinis vel Congregationis, de consensu tamen Abbatis vel Prioris conventualis ipsius Monasterii.

5. Alii Praelati, dignitate episcopali carentes, ante has praesentes Litteras Apostolicas nominati, gaudere pergunt privilegiis, ipsis quovis iure concessis sive personaliter sive collegialiter, circa quaedam insignia pontificalia, quibus nunc fruuntur. Haec tamen privilegia sponte dimittere possunt, ad normam iuris.

6. Prae oculis habitis sive iis quae Sacrosanctum Oecumenicum Concilium recenter statuit, sive principiis a Nobis enucleatis de veritate signi servanda in sacris celebrationibus, Praelatis, qui in posterum nominabuntur, iis exceptis de quibus in nn. 1 et 2, facultas non erit insignibus pontificalibus utendi.

7. Quae hic dicuntur de Praelatis valent etiam pro clericis, qui quovis titulo insignibus pontificalibus utuntur.

8. Ea quae his Apostolicis Litteris iubentur, a die VIII mensis Septembris hoc anno, vigere incipient.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Iunii anno MCMLXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

PAULUS PP. VI

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS DELIBERATIONES CONFERENTIARUM
EPISCOPALIU CONFIRMANTUR
(a die 16 martii ad diem 30 iunii 1968)

EUROPA

Anglia-Cambria

Decreta generalia: 3 maii 1968 (Prot. n. A 161/68): confirmatur interpretatio anglica ritus sacrarum Ordinationum.

Decreta particularia: *Lancastrensis* (3 maii 1968, Prot. n. A 162/68): confirmatur interpretatio anglica Missarum propriarum.

Belgium

Decreta generalia: 21 martii 1968 (Prot. n. A 115/68): confirmatur interpretatio neerlandica Canonis romani et ritus sacrarum Ordinationum.

Gallia

Decreta particularia:

Baiocensis (21 iun. 1968, Prot. n. A 215/68) confirmatur interpretatio vasconica rituum baptismi parvulorum, Unctionis infirmorum, s. Communionis infirmis distribuendae, Benedictionis Apostolicae in articulo mortis, pericoparum pro Missis defunctorum.

Ruthenensis (11 maii 1968, Prot. n. A 171/68): confirmatur interpretatio gallica Missarum propriarum.

Finnia

Decreta generalia: 8 maii 1968 (Prot. n. A 166/68): confirmatur interpretatio fennonica formularum sacramenti Paenitentiae, et interpretatio sueca Canonis romani.

Helvetia

Decreta particularia: *Lausannensis, Genevensis et Friburgensis* (19 iunii 1968, Prot. n. A 212/68): confirmatur interpretatio gallica Missarum propriarum.

Hispania

Decreta particularia:

Cauriensis - Castrorum Caeciliorum (8 apr. 1968, Prot. n. A 135/68): confirmatur interpretatio hispanica Missae propriae B.V.M. Matris divinarum gratiarum.

Gerundensis (18 et 9 maii 1968, Prot. n. A 117/68; et n. A 140/68): confirmatur interpretatio hispanica et catalaunica Missarum propriarum et interpretatio catalaunica Ordinis ad altare portatile consecrandum.

Italia

Decreta particularia: confirmatur interpretatio italica Missarum propriarum Dioecesium:

Castrismaris Stabiarum (19 iunii 1968, Prot. n. A 317/68).

Messanensis et SS. Salvatoris (14 martii 1968, Prot. n. A 56/68).

Nicotriensis et Tropiensis (2 apr. 1968, Prot. n. A 126/68).

Nuscanae (8 iunii 1968, Prot. n. A 203/68).

Pineroliensis (17 iunii 1968, Prot. n. A 210/68).

Veronensis (1 iunii 1968, Prot. n. A 189/68).

Verulanae-Frusinatensis (20 iunii 1968, Prot. n. 3318/68).

Mediolanensis (5 martii 1968, Prot. n. A 95/68): conceditur ut lotio manuum in Missa transferatur immediate post orationes secretas ritus offertorii, vel post incensationem, quando incensum adhibetur.

Jugoslavia

Decreta particularia: *Sloveniae* (20 martii 1968, Prot. n. A 108/68): confirmatur interpretatio slovena ritus benedictionis ss. Oleorum in feria V Hebdomadae sanctae, et Missae votivae s. Benedicti, Patroni Europae.

Scotia

Decreta generalia: 10 maii 1968 (Prot. n. A 169/68): confirmatur interpretatio anglica textuum Missalis romani qui invenitur in *The Book of Collects from the Roman Missal* et in *The Sacramentary of the Roman Missal* (ed. Geoffrey Chapman, London 1968).

ASIA

Ceylon

Decreta generalia: 17 iunii 1968 (Prot. n. A 201/68): confirmatur interpretatio anglica ritus Ordinationis sacerdotalis, et interpretatio tamil Canonis Missae, ritus ordinationis sacerdotalis et Confirmationis.

India

Decreta generalia: 28 martii 1968 (Prot. n. A 121/68): confirmatur interpretatio lingua kannada quarumdam partium Missalis Romani.

Decreta particularia:

Calcuttensis (15 maii 1968, Prot. n. A 175/68): Confirmatur interpretatio lingua bengali Canonis romani.

Ranchiensis (10 maii 1968, Prot. n. A 167/68): confirmatur interpretatio lingua hindi Praefationis SS.mae Trinitatis et orationis dominicae.

Hyderabadensis (20 iunii 1968, Prot. n. A 214/68): confirmatur interpretatio lingua telugu Missarum pro diebus dominicis et festis necnon Canonis romani.

Indonesia

Decreta particularia: *Rutengensis* (19 iunii 1968, Prot. n. A 601/67): confirmatur interpretatio rutengensis Ordinarii Missae.

Pakistania

Decreta generalia: 30 apr. 1968 (Prot. n. A 157/68): confirmatur interpretatio lingua punjabi Ordinarii, Canonis et praefationum Missae.

Philippinae Insulae

Decreta generalia: 20 et 28 martii, 18 maii 1968 (Prot. n. A 111/68, A 114/68, A 178/68): confirmatur interpretatio lingua ilongo Missalis romani, et interpretatio lingua tagalog Ordinarii et Canonis Missae.

Thailandia

Decreta generalia: 1 iunii 1968 (Prot. n. A 191/68): confirmatur interpretatio vernacula Missarum a feria IV Cinerum ad Domini-
cam Resurrectionis.

Viet-Nam

Decreta generalia: 17 iunii 1968 (Prot. n. A 204/68): confirmatur interpretatio vietnamensis praefationum Missae.

Conferentia Episcopalis Sinarum

Decreta generalia: 4 maii 1968 (Prot. n. A 164/68): confirmatur interpretatio sinica orationum Missarum pro diebus dominicis et festis, pro sponsis, pro defunctis et ad diversa.

AFRICA

Malia

Decreta generalia: 4 maii 1968 (Prot. n. A 128/68): confirmatur interpretatio lingua minyanka Praefationum et Canonis Missae, lingua Dogon Canonis Missae, linguis dogon (vulgo « donno ») et dogon (vulgo « donno so ») quorundam textuum Missalis romani.

Uganda

Decreta particularia:

Aruensis (29 martii 1968, Prot. n. A 112/68): confirmatur interpretatio lingua alur Ritualis romani et Missae pro sponsis.

Morotoensis (4 maii 1968, Prot. n. A 149/68): confirmatur interpretatio lingua karimojong Ordinarii et Canonis Missae et quarundam partium Proprii Missarum.

Zambia

Decreta particularia: *Livingstonensis* (13 maii 1968, Prot. n. A 172/68): confirmatur interpretatio lingua luvale Ritus Baptismi parvulorum.

AMERICA

Argentina

Decreta generalia: 17 iunii 1968 (Prot. n. A 206/68): confirmatur « ad interim » interpretatio hispanica textus antiphonarum processionalium, orationum et praefationum pro Communi Sanctorum, diebus ferialibus necnon pro Missis votivis (Editorial BONUM, Buenos Aires 1967).

Canada

Decreta particularia: *Sinus Iacobi* (2 apr. 1968, Prot. n. A 125/68): confirmatur interpretatio lingua Cree Ordinarii et Canonis Missae.

OCEANIA

Decreta particularia: *Mendiensis* (25 iunii 1968, Prot. n. A 224/68): confirmatur interpretatio lingua witumoke Canonis Missae et interpretatio lingua kewa Missarum pro diebus dominicis et festis a dom. Septuagesimae ad festum Ascensionis Domini.

Conferentia Episcopalis Pacifici

Decreta particularia: *Suvanae* (25 iunii 1968, Prot. n. A 226/68), confirmatur interpretatio lingua fijian ritus Confirmationis, orationum et Praefationis Missae votivae de Spiritu Sancto necnon Canonis Missae.

Lingua Esperanto

Decreta generalia: 18 maii 1968 (Prot. n. A 174/68): confirmatur interpretatio lingua « esperanto » orationum et cantuum Missarum a dominica I Adventus ad Epiphaniam Domini.

DECRETA QUIBUS INTERPRETATIONES POPULARES CANONIS ROMANI CONFIRMANTUR

Carolinensis et de Marshall (Vicariatus Apost.): 30 apr. 1968 et 26 martii 1968 (Prot. n. 113/68, A 150/68, A 156/68): confirmatur interpretatio linguis palauan, truk, ponape et marshall.

- Bolivia**, 8 iunii 1968 (Prot. n. A 208/68): confirmatur interpretatio lingua aymara.
- Chenia**, 29 maii 1968 (Prot. n. 1114/68): confirmatur interpretatio lingua luluya.
- Congus Brazapolitanus**, 28 martii 1968 (Prot. n. A 109/68): confirmatur interpretatio gallica et linguis lari ac lingala.
- Hollandia**, 16 martii 1968 (Prot. n. A 112/68): confirmatur interpretatio neerlandica.
- India**, 23 martii 1968, (Prot. n. A 107/68): confirmatur interpretatio lingua hindi.
- Kuduguensis** (Volta Superior), 21 iunii 1968 (Prot. n. A 216/68): confirmatur interpretatio lingua Lé-Lé.
- Nova Guinea**, 26 martii 1968 (Prot. n. A 119/68): confirmatur interpretatio lingua pidgin-English.
- Peruvia**, 26 martii 1968 (Prot. n. A 118/68): confirmatur interpretatio hispanica a Commissione mixta apparata.
- Philippinae Insulae**, 18 maii 1968 (Prot. n. A 179/68): confirmatur interpretatio lingua Leyte-Samarnon.
- Venetiola**, 1 iunii 1968 (Prot. n. A 186/68): confirmatur interpretatio hispanica a Commissione mixta apparata.
- Zambia**, 26 martii 1968 (Prot. n. A 116/68): confirmatur interpretatio linguis Cinyanja et lozi.

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES
POPULARES PROPRIORUM RELIGIOSORUM
(die 16 martii ad diem 30 iunii 1968)

- Ordo Cisterciensium Reformatorum**, 26 martii 1968 (Prot. n. A 120/68): confirmatur interpretatio italica Breviarii proprii a Septuagesima ad Quattuor Tempora Pentecostes, et Proprii Missalis pro Vigilia paschali.
- Ordo Carmelitarum Discalceatorum**, 11 maii 1968 (Prot. n. A 163/68): confirmatur interpretatio italica Missarum propriarum et Missae S. Pancratii Martyris.

Ordo Fratrum S. Augustini, 8 iunii 1968 (Prot. n. A 202/68): confirmatur interpretatio lusitana Missarum propriarum.

Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum, 17 iunii 1968 (Prot. n. A 185/68): confirmatur interpretatio anglica Missarum et Officiorum propriarum.

Societas Iesu, 25 iunii 1968 (Prot. n. A 223/68): confirmatur interpretatio anglica Missarum propriarum.

Congregatio SS.mi Redemptoris, 2 aprilis 1968 (Prot. n. A 127/68): confirmatur interpretatio neerlandica Missarum propriarum.

Institutum Fratrum Scholarum Christianarum, 8 iunii 1968 (Prot. n. A 207/68): confirmatur interpretatio italica Missarum propriarum.

Sorores a Caritate (v. delle sante Bartolomea Capitanio e Vincenza Gerosa), 29 febr. 1968 (Prot. n. A 85/68): confirmatur interpretatio italica Missae Sanctarum Bartolomaeae Capitanio et Vinceniae Gerosa.

DECRETA QUIBUS ORDO LECTIONUM CONCEDITUR

ORDO LECTIONUM PER FERIAS

Argentina, 18 iunii 1968 (Prot. n. A 211/68): conceditur Ordo « Consilii ».

Porturicus, 3 febr. 1968 (Prot. n. A 12/68): conceditur Ordo a Commissione mixta pro lingua hispanica apparatus.

LECTIONARIA PARTICULARIA (Cf. *Notitiae*, vol. 4, 1968, n. 2-3).

Africa Septentrionalis, 22 febr. 1968 (Prot. n. A 70/68), tantum pro Missis defunctorum et pro Confirmatione.

Belgium, 19 iunii 1968 (Prot. n. A 213/68).

Canadia, 10 maii 1968 (Prot. n. A 170).

Gallia, 23 ian. 1968 (Prot. n. A 24/68), tantum pro ritu Confirmationis.

Helvetia (Lingua gallica), 6 martii 1968 (Prot. n. A 91/68): tantum pro ritu Confirmationis.

Luxemburgum, 2 apr. 1968 (Prot. n. A 129/68).

Pakistania, 12 iunii 1968 (Prot. n. A 209/68).

Polonia, 26 martii 1968 (Prot. n. A 117/68), tantum pro Missis defunctorum.

Scotia, 10 maii 1968 (Prot. n. A 168/68).

Congregatio a Sacro Corde Iesu, 17 iunii 1968 (Prot. n. A 205/68); tantum pro Missis votivis de SS. Corde Iesu.

LABORES COETUUM A STUDIIS

De Ordine Baptismi parvulorum (Prof. B. Fischer)

A. DE RECOGNITIONE RITUS DEQUE EIUS INDOLE ET PROPOSITIS

Mandante Concilio prima vice in historia liturgiae catholicae genuinus ritus pro parvulis baptizandis exarandus erat; ritus enim parvulorum quem Paulus Pp. V. anno 1614 Rituali Romano inseruit, reapse est ritus adulatorum leviter abbreviatus. Inde maiores difficultates superandae erant quam pro ritu adulatorum, quia omnia quae ipsum actum abluendi praecedunt aut de novo creanda aut conditioni infantium adaptanda erant.

Illud ergo in primis habet curae novus ritus ut, iuxta art. 67 Constitutionis de sacra Liturgia¹, « verae infantium conditioni accomodetur ». Ritibus ergo submituntur parvuli; ipsi vero non interrogantur, ac si respondere deberent ac valerent; ad eos tamen, uti antea, interdum fit sermo, si veritatem retinet. Hic ergo novus baptizandi Ordo non iam est ritus abbreviatus adulatorum, sed genuinus infantium ritus.

Ad parentes deinde attenditur, ut, secundum eundem art. 67 « partes » eorum et « officia in ipso ritu magis pateant ». Recoluntur enim et inculcantur eorum officia, non solummodo in homilia, sed etiam in interrogationibus et admonitionibus, precibus communibus ac in ritibus ipsis. Maiorem etiam quam antea partem activam habent parentes: parvulos offerendo, eos post celebrantem signando, abre-

¹ Quodcumque deinceps articuli sine ulteriore additione citabuntur, semper agitur de articulis huius Constitutionis.

nuntiando et fidem profitendo, e fonte parvulos suscipendo, cereum accipiendo. Ritus ergo favet praesentiae utriusque parentis, ipsius etiam matris; nec obstant verba CIC, can. 770 «quam primum»; Sanctum Officium enim, litteris die 20 martii 1958 episcopo Argentoratensi datis, declaravit baptismum (extra periculum mortis) post reditum matris e clinica in domicilium celebratum considerandum esse tamquam tempestivum iuxta mentem can. 770 (cf. *La Maison Dieu* 56 (1958) 162 s. Ad tantam vero parentum cooperationem obtinendam necessaria est pastoralis eorum praeparatio, qua de suis officiis ac de indole ritus novi edoceantur.

Patrinorum autem munus, secundum eundem art. 67, retentum est. Officia eorum simul cum parentum muneribus recensentur in decursu ipsius ritus; habent enim in ritu partem suam abrenuntiando, fidem profitendo, vestem imponendo, partes etiam implendo parentum absentium.

Ad celebrationem quod attinet, observatur art. 27, quo laudatur communis potius quam privata rituum celebratio «cum frequentia et actuosa participatione fidelium»: inde indoles communitaria ritus novi. Instauratur enim pro pluribus insimul baptizandis infantibus², coram communitate, constituta saltem ex familiaribus, amicis et vicinis, activam partem habentibus tum in precibus communibus, tum in professione fidei et benedictionibus quibus adstant, tum in cantibus. Providetur etiam celebratio intra Missam diei dominicae.

Baptismus ipse elucet uti «sacramentum fidei». Baptizantur enim infantes «in fide Ecclesiae». Inde magnum momentum habent interrogationes parentum et patrinorum, praesertim abrenuntiatio eorum et professio fidei, necnon et verbi Dei celebratio. Pericopae evangelicae ita seliguntur, ut non de solo baptismo, sed et de fide doceant. Sic fovetur illa vera et actuosa fides, qua omnes, Christo Iesu et promissionibus suis adhaerentes et oboedientiam mandatorum includentes, pro se et filiis suis pactum foederis novi confirmant cum Patre per Filium in Spiritu Sancto. Talis enim viva fides singulis in praesentibus adultis verificari oportet, praesertim in parentibus et, ipsis deficientibus, saltem in patrinis, qui ita eligendi erunt, ut toto corde fidem profiteri valeant. Tali praeterea fide fundatur

² Interim iam praeparatus est ritus pro uno infante baptizando, qui in futuro R R secundum locum habebit.

responsabilitas parentum et patrinorum tum etiam totius communitatis de futura parvulorum in fide educatione et perseverantia.

Cum autem sacramentum baptismi specialiter ex paschali mysterio Christi derivetur (*Rom* 6, 3-4), Rituale novum ostendere intendit paschalem eius significationem. Ideo Passio et Resurrectio Domini commemoratur in oratione communi. Baptizatorum autem mors mystica et resurrectio significantur verbis aptis in benedictione aquae baptismalis, in orationibus exorcismi, in precibus communibus. Insertio autem in Christo praedicatur in formula unctionis chrisimalis. Gaudium demum et spes paschalis exprimuntur cantibus aptis necnon usu cerei paschalis. Ad eundem denique scopum commendatur ut baptismus infantum habeatur « die dominica, in qua Ecclesia mysterium paschale celebrat », immo ubi fieri potest in ipsa nocte paschali.

Baptismus praeterea extollitur uti sacramentum aggregationis ad populum Dei, cum effectibus pro praesenti tempore et spe eschatologica. Haec significatio, quae iam « in ritu recipiendi parvulos » innuitur, explicite exprimitur in nova formula unctionis chrisimalis, nempe infantem « populo sacerdotali, prophetico et regali per baptismum aggregari ». Apte ergo in celebratione verbi Dei selectae sunt pericopae Novi Testamenti: *Io* 15, 1-9; *1 Cor* 12-13, *Gal* 3, 26-28; *1 Pet* 2, 4-5. Etiam oratio communis ordinata est ad eandem aggregationem et sollicitudinem testimonii christiani exprimendam. Eadem praeterea ratione melius intelligetur communitaria indoles celebrationis, quae plures insimul infantes baptizandos congregat et maiorem communitatis participationem requirit.

Illustratur denique baptismus in suo ligamen cum ceteris sacramentis initiationis christianae, nempe cum confirmatione et SS. Eucharistia: quod in conclusione ritus significatur praesertim monitione celebrantis.

De locis in quibus celebratur baptismus haec observanda sunt:

a) In ecclesia paroeciali de more, non in sacello nosocomiorum ubi parturientes curantur, celebrandus est baptismus, ut vividius appareat sacramentum fidei Ecclesiae et aggregationis ad populum Dei.

b) In celebratione ipsa, seligenda sunt diversa loca, ut singuli ritus opportunius accommodentur ad numerum communitatis et ad decursum totius celebrationis. Inde variae solutiones proponuntur.

1. Post orationem exorcismi, si baptisterium est extra ecclesiam, vel utcumque extra conspectum fidelium, ad illud fit processio omnium.

2. Si locus baptisterii congregationem capere nequit, baptismum prope sanctuarium vel intra ipsum celebrare licet, accedentibus parentibus et patrinis tantum.

3. Si denique baptisterium in conspectu ipsius congregationis collocatum est, celebrans, parentes et patrini cum parvulis illud adeant, ceteris remanentibus in locis suis.

Interim, si digne fieri potest, cantatur cantus aptus, ex. gr. Ps. 22.

Actuosa denique et ingeniosa requiritur sollicitudo pastorum, ut baptismi celebratio aptetur necessitatibus et consuetudinibus localibus, praesertim in regionibus Missionus (cf. art. 65). Hac de causa ritus novus flexibilitatem ostendit: aliquoties verba monitionis indeterminata relinquuntur; in celebratione verbi Dei, multae lectiones offeruntur, plura schemata orationis communis, duae orationes exorcismi et plures formulae ad consecrandam aquam. Praevidetur insuper, ut prima pars, nempe «ritus recipiendi parvulos», separatim celebrari possit in nonnullis locis, praesertim in regionibus Missionus, secundum requisita pastoralia. Insuper, ad mentem art. 63 b, ritus hic novus sicut omnes ritus RR recogniti subiicitur adhuc ulteriori accommodationi, quae ad quamlibet Conferentiam Episcopalem pertinet.

Etsi spirituales baptismi divitiae nec percipi nec celebrari possint sine aliqua ritus protractione, attamen semper prae oculis habita est brevis. Cui non parum confert non sola rituum alleviatio sed et communitaria celebratio, dum interrogationes et responsiones fiunt una vice pro pluribus; interdum plures adhibentur ministri. Ita, si v.g. quinque pueri simul baptizabuntur, celebratio ritus recogniti complectetur mille circiter verba, dum ritus anterior duo circiter millia requirebat.

B. DE STRUCTURA NOVI RITUS

Ritus baptizandi plures infantes³ has quattuor habebit partes:

I. Ritus recipiendi infantes («accueil»), cuius actio centralis est signatio cuiusque infantis in fronte.

II. Sacra verbi Dei celebratio.

³ Ritus pro pluribus infantibus simul baptizandis praecedentiam mereri videtur, quia melius characterem communitarium celebrationis exprimit.

III. Ipsius sacramenti celebratio

1. Consecratio aquae
2. Abrenuntiatio
3. Professio fidei
4. Ritus aquae
5. Unctio postbaptismalis
6. Porrectiones vestimenti et cerei
7. Ritus « Ephpheta » (ad libitum Conf. Episc.).

IV. Ritus conclusionis:

1. Processio ad altare cum cantu (pro opportunitate)
2. Cantus (recitatio) communis orationis dominicae
3. Benedictio finalis.

De singulis quattuor partibus sequentia dicenda videntur:

I. *Ritus recipiendi infantes*

Celebranti a communitate circumdato praesentantur a parentibus et patrinis matrinisque infantes. Familiae ita ostendunt se in animo habere ut parvuli in christianam communitatem aggregentur. Ritus exorditur humana conversatione inter celebrantem et familias, progreditur autem et constat dialogo, quem celebrans et familiares inter se instituunt. Pro sua parte celebrans agnoscit humanos familiae et nativitatis novae valores, proponit autem officia baptismo connexa; familiae vero clare significant quid advenientes intendant. Concluditur denique cum infantes a celebrante et a parentibus signantur, ut videantur iam transisse in possessionem Domini sui.

II. *Sacra verbi Dei celebratio*

Processionaliter accedunt omnes ad locum celebrationi verbi Dei destinatum. Deinde fit liturgia verbi, quae constat: lectione unius Sacrae Scripturae textus (vel duorum, pro opportunitate), brevi homilia (addito, si libet, tempore silentii), et prece communi, quae invocatione quorundam sanctorum coronatur. Sequitur oratio ad modum exorcismi instructa; ultimis verbis alludit ad unctionem cum oleo catechumenorum, si fit; relinquitur enim, sicut in ritu adultorum, ad libitum Conferentiarum Episcopaliū. Postea processionaliter omnes se conferunt, si occurrit, in baptisterium.

Celebratio verbi Dei ostendit magnam flexibilitatem, ita ut accommodari valeat consuetudinibus et necessitatibus localibus, necnon et respectivis familiarum opportunitatibus.

Homilia celebrantis brevis sit oportet et ad genus «mystagogicum» pertineat. Captui omnium accommodata, ita verba S. Scripturae interpretetur, ut adstantes, quasi manu ducti, intelligant mysterium baptismi celebrandi et responsibilitatem inde oriundam pro parentibus, patrinis, immo pro tota communitate.

Secundum art. 30, «ad actuosam participationem promovendam» concurrit etiam «sacrum *silentium*». Hoc loco commendatur, ut verbum Dei in omnibus adstantibus seminatum (*Mt* 13, 16-23), interne intelligatur et maturescat. Inde momentum huius silentii occurrit ad instar alicuius primi culminis in tota celebratione.

Scopus *orationis communis* non est solum, ut iterum illustretur significato baptismi, sed ut effectus eius implorentur tamquam gratia Dei, et quidem ab omnibus adstantibus. Petitur praeterea pro parentibus ac patrinis fidelitas in adimplendis officiis suis, denique pro omnibus renovatio in spiritu baptismi. Ideo forma «orationis» est essentialis; et, ut obtineatur finis intentus, postulatur est omnes unanimiter respondeant.

Scopus *orationis exorcismi* in eo stat, ut manifestum sit omnes, etiam parvulos, qui nunquam peccata actualia et personalia commiserunt, peccato tamen et potestati Satanae subiacere, usquedum redemptionem Christi acceperint. Ideo etiam pro parvulis baptismus duplicem effectum induit: negativum scilicet et positivum. Attamen exorcismus non exhibet formam imprecativam sed deprecativam: loquitur de potestate diaboli, quin ad eum dirigatur sermo.

Formulae exorcismi sunt duae. Prima effectus praesentes respicit: praedicat Satanam expulsum et parvulos futuros esse templum Dei vivi. Altera autem respicit non solum liberationem infantium praesentem, sed futuram eorum protectionem contra mundum et diabolicam potestatem.

Hae orationes sequentem exhibent formam:

1. Omnipotens sempiternae Deus,
Qui Filium tuum in mundum misisti
ut Satanae, spiritus nequitiae,
a nobis expelleres potestatem
et hominem, ereptum e tenebris,

in admirabile regnum tuae lucis transferret:
Te supplices exoramus,
ut hos parvulos, e regno erutos tenebrarum,
Dei vivi templum perficias,
et Spiritus Sanctus habitet in eis.
Digneris eos virtute Christi Salvatoris munire:
[in cuius signum nos eos oleo linimus salutis
in eodem Christo Domino nostro].
Qui vivit et regnat in saecula saeculorum.
Amen.

Unctio fit cum oleo catechumenorum in pectore. Si Conferentiae Episcopali propter graves rationes ita visum fuerit haec unctio praebaptismalis omitti potest. Tunc, post verba «Christi Salvatoris munire», celebrans orationem immediate concludit dicens: «Qui vivit et regnat».

2. Domine Deus omnipotens,
Qui Filium tuum unigenitum mittere voluisti,
ut hominem peccati servitute captivum
filiorum tuorum libertate donares,
te humillime pro his infantibus deprecamur,
ut quos scis huius mundi experturos illecebras
et contra diaboli pugnatuos insidias,
Passionis et Resurrectionis Filii tui virtute
a potestate tenebrarum eripias
et eiusdem Christi [unctione sancta linitos]
in itinere vitae suae indesinenter custodias.
Per eundem Christum Dominum nostrum.
Amen.

Si unctio non fit, loco verborum inter uncas positorum: «unctione sancta linitos», ponuntur verba «gratia sancta munitos».

III. *Ipsius sacramenti celebratio*

Sacramenti celebratio a consecratione aquae baptismalis incipit. Quae consecratio, cum illustret SS. Trinitatis invocatione significationem aquae et baptismi, tanti momenti est, ut iuxta art. 70 in singulis baptismi celebrationibus, excepto tempore paschali, eam

iterare liceat. Tempore autem paschali adhibeatur aqua in nocte paschali consecrata; oratio tamen aliqua fiet, ut remaneat invocatio cum indole gratiarum actionis et deprecationis.

Abrenuntiatio et confessio fidei fiunt a parentibus et patrinis matrinisque. Interrogantur et respondent pro seipsis, sed infantium causa quorum curam gerunt. Tota post eos communitas professionem fidei adsentiendo confirmat, ita ut clare appareat fidem Ecclesiae universae, in qua baptizantur infantes, actuose repraesentari fide huius communitatis.

Postea celebratur ritus aquae, qui, secundum consuetudines locales, fiet per immersionem vel per infusionem. Deinde fit unctio chrismatis, qua significatur insertio in Christo et aggregatio ad populum Dei sanctum.

Veniunt denique ritus complementarii: impositio vestis, accensio cerei, quibus illustratur significatio eschatologica baptismi et eo ipso admonentur parentes patrinique de futura sua responsabilitate. Ritus autem «Ephpheta», ad libitum Conferentiarum Episcopaliū relictus, ordinatur ad significandum momentum gratiae, cum parvuli ad discretionis aetatem et ad personalem fidem in Christum pervenerint.

Plures proponuntur formulae *consecrationis aquae*:

a) prima, procedens ex Missali romano in Vigilia paschali, partim abbreviata, partim aucta est (addita in fine theologia paulina baptismi); hoc proprium habet, quod pars eius anamnetica percurrit per summa capita totam a principio usque ad finem oeconomiam Dei super aquam in Vetere et in Novo Testamento.

b) Ceterae autem formulae partem anamneticam minus amplam ostendunt, magis vero sunt accommodatae ad participationem communitatis, quae respondere potest.

c) Formula denique, quae praevidetur pro tempore paschali super aquam iam benedictam, praetermittit invocationem Dei super ipsam aquam, cum iam sit sanctificata; deprecationem autem ordinat ad ipsos baptizandos.

Titulo exempli ponitur hic una ex formulis sub b) memoratis:

Celebrans: Clementissime Pater, qui de baptismatis fonte novam filiorum Dei vitam in nobis scaturire fecisti,

Omnes: Benedictus Deus (vel alia apta acclamatio populi).

Celebrans: Qui ex aqua et Spiritu Sancto in unum populum omnes baptizatos coadunare dignaris in Filio tuo Iesu Christo,

Omnes: Benedictus Deus.

Celebrans: Qui dono caritatis tuae nos liberas, ut tua pace fruamur,

Omnes: Benedictus Deus.

Celebrans: Qui nos eligis, ut in omnibus gentibus Evangelium Christi tui adnuntiemus.

Omnes: Benedictus Deus.

Celebrans: Hanc aquam bene + dicere digneris, qua baptizandi sunt famuli tui (N... et N...) et famulae tuae (N... et N...) quos dilectione parentum ad lavacrum regenerationis in fide Ecclesiae vocasti, ut habeant vitam aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

Omnes: Amen.

Dum exorcismus infantes ipsos respicit, *abrenuntiatio* et *professio fidei* ordinantur ad parentes, quibus patrini matrinaeque semetipsos associant. Interrogantur et respondent directe pro seipsis, infantium tamen causa, quos ad vitam introduxerunt, nunc ad baptismum adducunt et postea in fide instituent. Baptizantur enim pueri «in fide Ecclesiae». Quod, etsi intelligitur in primis de universa Ecclesia, parentes tamen ita includit ut S. Augustinus scripserit parvulos baptizari «in fide parentum». Si tamen unus vel alter ex parentibus fidem suam profiteri nequeat, tunc abstineat. Sed omnino necessarium est ut saltem patrini ita sint electi, ut abrenuntiare et profiteri valeant.

Ad interrogationes tum abrenuntiationis tum professionis fidei respondent in singulari, ut clarius appareat responsabilitas personalis singulorum. Ut haec omnia eluceant, parentes et patrini ante abrenuntiationem ita monentur:

Carissimi parentes et patrini!

Per sacramentum baptismi parvuli a vobis oblati novam a caritate Dei vitam recepturi sunt ex aqua et Spiritu Sancto. Vos autem ita eos in fide educare studeatis, ut vita illa divina a peccati contagione praeservetur atque de die in diem in ipsis accrescere possit. Si igitur parati estis ad hoc :

munus suscipiendum, baptismi vestri vota renovate
peccato abrenuntiantes et profitentes fidem
in Christum Iesum, quae est fides Ecclesiae,
in qua parvuli baptizantur.

Textus *unctionis post baptismalis* secundum ea, quae supra sub A dicta sunt, recognitus sic sonat:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi,
qui vos a peccato liberavit
et regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto,
ipse vos linit chrismate salutis,
ut populo sacerdotali,
prophetico et regali per baptismum aggregati,
Christi sacerdotis, prophetae et regis membra
permaneatis in vitam aeternam.

Omnes: Amen.

IV. *Conclusio ritus*

Concluditur ritus duplici actu. Primo fit accessus ad altare cum admonitione celebrantis et oratione «Pater noster». Sic figurative praedicatur futurus baptizatorum accessus ad mensam sacrificii Domini. Monitio loquitur de relatione baptismatis cum confirmatione et SS. Eucharistia.

Postea a celebrante benedicuntur parentes et adstantes. Sic nostris diebus aptatur antiqua benedictio mulieris post partum quae simul, modo convenienti, accommodatur patribus; denique benedictio extenditur ad omnes fideles adstantes.

Pro hac benedictione finali plures proponuntur formulae ad libitum eligendae. Prima ex eis ita sonat:

Celebrans: Dominus Deus omnipotens,
qui per Filium suum natum ex Maria Virgine
matres christianas spe vitae aeternae infantium
suorum laetificavit,
benedicat + matres hic praesentes,
ut cum parvulis suis modo baptizatis
in gratiarum actione semper maneant
in Christo Iesu Domino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Domine Deus omnipotens,
qui vitam terrenam et caelestem largitur,
benedicat + coniuges hic praesentes,
ut verbo et exemplo parvulis suis
modo baptizatis
primi sint fidei testes
in Christo Iesu Domino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dominus Deus omnipotens,
qui nos omnes ex aqua et Spiritu Sancto
regeneravit,
benedicat + hos fideles suos,
ut semper et ubique viva sint membra
populi sancti sui
in Christo Iesu Domino nostro.

Omnes: Amen.

IN NOSTRA FAMILIA

Die 25 maii 1968, Beatissimus Pater PAULUS VI, peculiarem constituit Coetum ad studendum modo applicandi principia Constitutionis de sacra Liturgia ad Caeremonias Pontificias et ad reformandum « Regulamentum » Praefecturae earundem Caeremoniarum. Huiusmodi Coetum praesidet Rev.mus P. A. BUGNINI, Secretarius « Consilii », cum munere *Delegati pro Caeremoniis Pontificiis*.

A Beatissimo Patre inter Consultores Sacrae Rituum Congregationis cooptati sunt sequentes « Consilii » sodales: Salvator Famoso, Theodorus Schnitzler, Balthasar Fischer, Aemilius Lengeling, Igynus Rogger, Petrus Jounel, Carolus Braga, CM, Adalbertus Franquesa, OSB, Godheardus Pasqualetti, IMC, Petrus Gy, OP, Ioseph Lécuyer, CSSp, Burcardus Neunheuser, OSB, Cyprianus Vagaggini, OSB, Pelagius Visentin, OSB, Ildefonsus Tassi, OSB, Vedastus Fontaine, CRIC, Eugenius Cardine, OSB, Ioseph Gelineau, SJ, Xaverius Seumoys, PA, Ludovicus Bouyer, d. O. (cf. *L'Osservatore Romano*, 2 giugno 1968).

Sacra Congregatio Rituum

INSTRUCTIO

DE RITIBUS ET INSIGNIBUS PONTIFICALIBUS SIMPLICIORIBUS REDDENDIS

Pontificales ritus magni habere ac proinde sedula diligentia curare sollemne fuit saeculis vertentibus, quippe qui non honoris tantum praebeant indicium, quo sacra Episcoporum dignitas in Ecclesia est veneranda, sed et ipsius Ecclesiae mysterium ob oculos fidelium aperte proponant.

Quanta autem observantia ritus ab Episcopo peragendos, etiam recentiore aetate, Ecclesia sit prosecuta, e Caeremoniali Episcoporum dignosci potest, in quod, auctoritate Summorum Pontificum, normae collectae sunt, ad celebrationes pontificales moderandas necessariae.

Huiusmodi tamen liber, qui venerabiles traditiones servat celebrationum antiquiorum in quibus, praeside Episcopo, presbyteri, diaconi et ministri, suum ministerium navant, congregato et praesente populo, obsoleta quoque et cum nostra aetate minus consonantia saepe continet.

Quapropter, liturgica instauratione inchoata, per quam sacri ritus ad nobilem simplicitatem et ad signi veritatem rediguntur, a pluribus Episcopis instantius petatum est ut etiam pontificales celebrationes et pontificalia insignia simpliciora redderentur.

Re igitur attente perpensa, quamvis in omnibus Caeremoniale Episcoporum recognosci nequeat, antequam definitiva Ordinis Missae, Officii divini et Anni liturgici instaurationis peracta sit, opportunum tamen visum est quaedam iam nunc statuere, quibus ritus pontificales, eorum dignitate servata, etiam simplicitate fulgeant. Quam ob rem quae sequuntur statim mutanda vel instauranda praecipiuntur.

I. DE PRESBYTERIS ET MINISTRIS CIRCA EPISCOPUM CELEBRANTEM

a) *De presbyteris et ministris in Missa concelebrata*

1. Ad praecipuam illam Ecclesiae manifestationem clarius ostendendam, quae in Eucharistia tam aperte exprimitur cum praest Episcopus suo presbyterio et ministris circumdatus, populo in ea actuose participante, maxime convenit ut, instaurata concelebratione, Episcopo sollemniter celebranti presbyteri adsint cum ipso concelebrantes, iuxta venerabilem Ecclesiae traditionem.

Quo autem maior facultas praebeatur presbyteris praestantioris dignitatis Missam cum Episcopo concelebrandi:

a) unus e presbyteris concelebrantibus munere presbyteri assistentis fungitur;

b) deficientibus diaconis, duo e concelebrantibus locum diaconorum assistentium sumere possunt.¹

b) *De presbytero et diaconis assistentibus*

2. Presbyteri assistentis est Episcopo legenti adstare. Librum tamen ante Episcopum extra altare minister teneat.

3. Episcopo ad cathedram presbyteri praestantioris dignitatis de more assistant. Licet tamen diacono, aut, pro necessitate, etiam diacono et subdiacono Missae ad cathedram Episcopo assistere et ministeria implere diaconorum assistentium.

c) *De diaconis et subdiaconis*

4. Ut veritas ordinum et ministeriorum in celebranda Eucharistia cui praest Episcopus aperte manifestetur, praestat, si adsint, ad munus diaconi altaris et subdiaconi in Missa veros diaconos et subdiaconos non excludere.

5. Nihil impedit quominus plures diaconi, si adsint, suis vestibus induti, diversis ministeriis inter se distributis fungantur.

6. Episcopo sine cantu Missam celebranti decet unum saltem dia-

¹ Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missae*, nn. 18 et 19.

conum assistere, indutum amictu, alba, cingulo et stola, qui Evangelium legat et altari inserviat.²

7. FERIA V in Cena Domini, in Missa Chrismatis, si nequeant haberi omnes diaconi et subdiaconi a rubricis requisiti, pauciores adesse possunt. Si ne hoc quidem obtineri potest, olea deferant quidam presbyteri concelebrantes.

d) *De canonicis in choro assistantibus*

8. In Missa pontificali Episcopi canonici habitu choralis semper induantur.

e) *De ministris inferioribus*

9. Ministri qui Episcopo ad cathedram inserviunt pluviali ne induantur.

II. DE SEDE SEU CATHEDRA EPISCOPI

10. Sedes Episcopi venerabili et tradito nomine « cathedra » vocatur.

11. Cathedrae posthac baldachinum non superponatur; attamen sedula cura servantur pretiosa opera a saeculis tradita. Ceterum baldachina exstantia ne removeantur, nisi audita prius Commissione liturgica et de arte sacra.

12. Numerus graduum cathedrae ita, iuxta uniuscuiusque ecclesiae structuram, aptetur ut Episcopus a fidelibus bene conspici possit, et ipse revera universae fidelium communitati praeesse videatur.

13. Unica semper sit cathedra episcopalis; et in ea Episcopus se deat qui celebrat aut celebrationi pontificaliter praest. Ceteris vero Episcopis vel Praelatis forte praesentibus sedes paretur, loco convenienti, quae tamen non sit ad modum cathedrae erecta.

² Cf. *Ritus servandus in celebratione Missae* (1965), n. 44.

III. DE SIMPLICIORE USU QUARUNDAM VESTIUM ET QUORUNDAM INSIGNIUM PONTIFICALIUM

14. Episcopus qui albam iuxta rubricas induit, non tenetur rochetum sub alba conservare.

15. Ad libitum Episcopus adhibere potest:

- a) caligas et sandalia;
- b) chirothecas, cum facultate, si libuerit, eas coloris semper albi adhibendi;
- c) formale, super pluviale assumendum.

16. Aboleantur vero:

- a) tunica Episcopi, adhuc sub dalmatica induenda;
- b) gremiale sericum, servato altero gremiali, quando verae utilitati est v. gr. ad unctiones peragendas;
- c) candela, quae cum libro affertur Episcopo ad legendum, nisi quando necessitas adsit;
- d) pulvinar ad genuflexiones obiter faciendas.

17. Dalmaticam, iuxta antiquam traditionem, Episcopus servet, cum sollemniter celebrat; et insuper etiam in Missa lecta: in consecratione Episcopi, in collatione Ordinum, in benedictione Abbatis, in benedictione Abbatissae, in benedictione et consecratione Virginum, in consecratione ecclesiae et altaris. Attamen, ex rationabili causa, a sumenda dalmatica subter planetam abstinere potest.

18. In unaquaque actione liturgica, una tantum mitra Episcopus utatur, quae iuxta rationem celebrationis erit aut simplex aut ornata.

19. Baculo uti potest quivis Episcopus, qui pontificaliter, consentiente Episcopo loci, celebrat.

20. Unica crux deferatur in processione, ad maiorem dignitatem et venerationem crucis procurandam; quae, si adest Archiepiscopus, erit crux archiepiscopalis, in capite tamen processionis deferenda, cum imagine Crucifixi in anteriore parte posita. Crux, in processione delata, postea iuxta altare laudabiliter erigitur, ita ut fiat crux ipsa altaris. Secus reponatur.

IV. DE QUIBUSDAM IMMUTANDIS VEL ABOLENDIS IN RITIBUS EPISCOPALIBUS

a) *De vestibus induendis vel exuendis*

21. In quavis actione liturgica Episcopus vestes sacras assumit aut deponit in secretario vel, eo deficiente, in sacristia, vel etiam ad cathedram aut, pro opportunitate, ante altare; vestes autem et insignia super altare ne ponantur.

22. Cum Episcopus ante Missam in secretario praeest Horae Officii, quae tempori diei congruit, planetam iam ab initio Horae sumit.

b) *De libro Evangeliorum*

23. Liber Evangeliorum, opportune distinguendus a libro Epistolarum, defertur a subdiacono initio Missae. Postquam autem Episcopus celebrans altare et librum Evangeliorum osculatus fuerit, ipse liber super altare, in medio, relinquitur. A diacono accipitur, dicto *Munda cor meum*, antequam benedictionem ab Episcopo petat ad cantandum Evangelium.

